



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati Caesarei, Pars Lyrica

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

Ad Bernardvm Hovvardum, Dvcis Norfolciae Fratrem. Celebrat ab Vrbe
discedentem. Quantus honos ei habitus Romæ ac Neapoli narratur. Ode
XVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13378

O D E X V I I .

L Egifer, OCTAVI, Catane natale Charondas
 Iactat, nec indignus, solum,
 Iuridicæ regnum Cereris : gentile parentis
 Hinc fluxit & nomen tui .
 Candidior quo non Clitumnus iudice, quo non
 Sentinus iuit purior ,
 Donèc Fulginiam Themidis responsa monebat ,
 Litesquè ciuis ruperat .
 Fine nimis curto conclusimus : Itala tellus
 Parebat omnis arbitro .
 Heu silet extinctus, redimant quem parte loquentem
 Cæsarquè regni & Pontifex .
 Sed cælo securus abest ; securus & absit :
 Tu vota terrarum dabis
 Completa, ô Fili, generosi pectoris hæres ,
 Phœnix relictus patriæ .
 Posthuma diuulgas, vocisquè vicaria scripta :
 Quid euocamus conditum ?
 Sic Plato, & Hermogenes, & codicis Induperator ,
 Fato vigent superstites .

 AD BERNARDVM HOVVARDVM ,
 DVVIS NORFOLCIAE FRATREM .

Celebrat ab Vrbe discedentem . Quantus honos ei ha-
bitus Romæ ac Neapoli narratur .

O D E X V I I I .

E Rgò abitur claræ nequeunt spectacula Romæ ,
 Longo videnda seculo ,
 Nec Cumæus ager, cedant cui Theffala Tempe ,
 Primusquè flos Neapolis
 Ad paucos proferre dies? dedit Angliacalcar ?
 I, (quandò amicorum preces

M

Non

Non retinent) i, vere nouo, Zephyrisquè benignis,
Dulcem reuise patriam.

Te cupit illa magis. Iuuenis sic vellus Iāson
Optatus aureum tulit:

Sic Ithacæ populus varium miratus Vlyfsem est,
Gaudebit vt Britannia,

Illustri morum censu ditata tuorum,
Ac mille maior artibus.

Est aliquid, meritis niti fulgentis alumai;
Ceù se efferebat Ilium

Hectoreâ virtute potens, vel Apolline Delos?
Quas grata persoluet vices.

Pro decore accepto, pro tanto nomine fuso,
Quot intulisti gentibus,

Tecum errans, tecum famâ sublimis eodem!
Quis ille? si quæsiuerit

Italus, aut Belga, aut Gallus, vel Dalmata, vel Thrax;
Quis ille mirè splendidus,

Ille hospes, formâ insignis viridiquè iuentâ,
Cunctis refertus Gratijs?

Magnus Arundellæ sanguis, dicere Britannus:
Hæc iure non superbiat?

Qualem vidi equidem nuper: stupuere Quirites
Præter notari euntium

Voce manuquè simul; Romanus cum Pater alto
Tractauit admissum modo.

Indè alij socium proceres curruquè, domoquè,
Mensaquè iunxerunt sibi.

Carolus ante omnes, sacri pars lecta Senatûs,
Ingentis Urbani nepos,

Perpetuò affixit, studijs æqualis & annis,
Multo grauatum munere.

Talibus exemplis quid non excita laborat
Monstrare formosum tibi

Parthenope cum rege suo? Sirenes amœnis
Fecere plausum cantibus.

Nec minùs ad Thamesin notis celebrabere cycnis;
Qui fratris ædes æcolunt.